

A

- de Abigeis pag. 618. lib. 9. tit. 57.
- de Abolitionibus. 618. \* 9. 42.
- de Acceptationibus. 561. \* 8. 44.
- de Accusationibus et inscript. 585. \* 9. 2.
- de Acquirenda et retinenda poss. 478. \* 7. 52.
- de Actionibus empti et venditi. 265. \* 4. 49.
- de Actore à Tutore seu Curatore dando. 581. \* 5. 61.
- de Administratione Rerum publicarum. 687. \* 11. 50.
- Tutorum vel Curat. 335. \* 8. 57.
- de Adoptionibus. 566. \* 8. 48.
- de Adsertione tollenda. 471. \* 7. 17.
- de Adessoribus et domesticis. 106. \* 1. 51.
- de Advocatis diversorum iudiciorum. 125. \* 2. 7.
- diversorum iudicium. 125. \* 2. 8.
- Fiscis. 129. \* 2. 9.
- de Edificiis privatis. 524. \* 8. 10.
- de Edictis actionibus. 272. \* 4. 58.
- de Agentibus in rebus. 728. \* 12. 20.
- de Agriculis et Censitis. 694. \* 11. 47.
- et mancipiis. 710. \* 11. 67.
- de Aleatoribus, et alearum lusu. 286. \* 3. 45.
- de Alendis liberis ac parent. 322. \* 8. 25.
- de Alexandria primatibus. 686. \* 11. 28.
- de Alienatione iudicii mutandi causa facta. 155. \* 2. 55.
- de Alimentis pupillo præstandis. 548. \* 5. 50.
- de Alluvionibus et paludibus. 490. \* 7. 41.
- de Annali exceptione Italici. 488. \* 7. 40.
- de Annonis civilibus. 685. \* 11. 24.
- et capitatione. 108. \* 1. 52.
- et Tributis. 656. \* 10. 16.
- An servus pro suo facto. 221. \* 4. 14.
- de Apochis publicis. 641. \* 10. 22.
- de Apostatis. 62. \* 1. 7.
- de Apparitoribus Comitibus Orient. 759. \* 12. 57.
- Magistrorum milit. 758. \* 12. 55.
- Præfecti Annonæ. 761. \* 12. 59.
- Præfecti Urbis. 758. \* 12. 54.
- Præfectorum. 758. \* 12. 53.
- Proconsulis. 759. \* 12. 56.
- de Appellationibus. 502. \* 7. 62.
- de Aquæductu. 691. \* 11. 42.
- Arbitrium tutela. 548. \* 5. 51.
- de Argenti pretio. 674. \* 10. 76.
- de Athletis. 666. \* 10. 85.
- de Auctoritate præstanda. 580. \* 8. 59.
- de Auri publici persecutoribus. 675. \* 10. 72.
- de Auro coronario. 675. \* 10. 74.

B

- de Bonis auctoritate Iudicis possid. pag. 516. lib. 7. tit. 72.
- eorum, qui mortem sibi consc. 626. \* 9. 50.
- libertorum et iure patr. 569. \* 6. 4.
- maternis et materni gen. 446. \* 6. 60.
- proscriptorum, seu damnat. 624. \* 9. 49.
- quæ liberis in potest. 447. \* 6. 61.
- vacantibus. 632. \* 10. 10.
- de Bonorum, possessione contra tab. libert. 375. \* 6. 13.
- contra tab. quam Prætor. 375. \* 6. 12.
- secundum tab. 375. \* 6. 11.



CODICIS

LIBER PRIMUS.

TIT. I.

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA, ET UT NEMO DE EA PUBLICE CONTENDERE AUDEAT.

1. Imperatorum GRATIAN. VALENTIN. et THEOD. AAA. Edictum ad populum urbis Constantinopolitane.

Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam divum Petrum apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat: quamque pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriae episcopum, virum apostolicæ sanctitatis: hoc est, ut secundum apostolicam disciplinam evangelicamque doctrinam, Patris et Filii et Spiritus sancti unam deitatem sub pari majestate et sub pia Trinitate credamus. — § 1. Hanc legem sequentes, christianorum catholicorum nomen jubemus amplecti: reliquos vero dementes vesanosque judicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere: divina primum vindicta, post etiam motus [animi] nostri, quem ex cælesti arbitrio sumperimus, ultione plectendos. — Dat. 3 kal. Mart. THESS. GRATIANO A.V. et THEODOSIO A. COSS. 380.

2. Idem, AA. Eutropio præfecto prætorio.

Nullus hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatoris dementia pateat occasio. Sciant omnes, etiamsi quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicto ab hujusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ: unius et summi Dei nomen ubique celebretur. Nicænae fidei dudum a majoribus traditæ, et divinæ religionis testimonio, atque adsertione firmatæ, observantia semper mansura teneat. — § 1. Is autem Nicænae adsertor fidei et catholice religionis verus cultor accipiendus est: qui omnipotentem Deum et Christum filium Dei uno nomine confitetur: Deum de Deo, lumen de lumine: qui Spiritum sanctum, quem ex summo rerum parente et speramus, et accipimus, negando non violat: apud quem intemeratæ fidei sensus viget, et incorrupte Trinitatis indivisa substantia, quæ græco verbo *ὑπόστασις* recte creditibus dicitur. Hæc profecto nobis probanda, hæc veneranda sunt. — § 2. Qui vero non iisdem inserviunt; desinant affectatis dolis alienum veræ religionis nomen assumere: et suis apertis criminibus denotentur, atque ab omni submoti ecclesiarum limine penitus arceantur: cum omnes hæreticos illicitas agere inter oppida congregationes vetemus. At si quid eruptio factiosa tentaverit, ab ipsis etiam urbium mœnibus exterminato furore propelli jubemus: ut cunctis orthodoxis episcopis, qui Nicænam fidem tenent, catholice ecclesiæ toto orbe reddantur. — Dat. 4 id. Jan. CP. FL. EUCH. et FL. STAGRIO CC. COSS. 381.

3. Imp. THEODOS. et VALENTIN. AA. Hormisdæ P.P.

Decere arbitramur nostrum imperium, subditos nostros de religione commonefacere: ita enim et pleniorum acquiri Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi benignitatem possibile esse existimamus, si quando et nos ro viribus ipsi placere studuerimus, et nostros subditos ad eam rem instituerimus. — § 1. Sancimus [igitur], ut omnia, quæcumque Porphyrius sua pulsus insania [aut quisvis alius] contra religiosum christianorum cultum conscripsit, apud quemcumque inventa fuerint, igni mancipentur. Omnia enim provocantia Deum ad iracundiam scripta, et pias mentes offendunt, ne ad aures quidem hominum venire volumus. — § 2. Præterea sancimus, ut qui adfectant impiam Nestorii opinionem, vel nefariam ejus doctrinam sectantur; si episcopi aut clerici sint, ab ecclesiis ejiciantur: si laici, anathematizentur, [secundum ea, quæ jam a nostra divinitate sunt constituta] licentiam habituris orthodoxis, quicumque voluerint, secundum nostram legislationem, absque metu, et damno ipsos propalare et accusare. — § 3. Quoniam vero pervenit ad pias nostras aures, quod quidam doctrinas quas-

TIT. I. — 1. L. 4, infr. h. t. — 2. Auth. Gazaros, infr. de hæret. et manichæis. — 3. L. 3, in fine; L. 5, infr. d. t.; N. 42. — 4. L. 6, infr. de hæret. — 5. L. 8, § 3, infr. d. t. — 6. § 3, infr. h. t.; L. 6, § 1, infr. de hæret.; N. 42, c. 1, § 2. — 7. L. 5, § 2, infr. h. t. — 8. § 4, infr.

dam conscripserunt, et ediderunt ambiguas, et non per omnia ac præcise congruentes expositæ orthodoxæ fidei a sancta synodo eorum sanctorum patrum, qui Nicænae et Ephesi convenerunt, et a Cyrillo pie memoriæ, qui fuerat magnæ Alexandriae civitatis episcopus: jubemus, facta hujusmodi scripta, sive antea, sive nunc, [potissimum autem ea, quæ Nestorii sunt], comburi, et perfectissimo interitui mancipari: ita ut in nullius cognitionem venire possint: his qui talia scripta, aut tales libros habere, aut legere sustinuerint, ultimum supplicium experturis. De cætero nulli patente licentia, præter expositam fidem (ut diximus) tam Nicænae quam Ephesi, aliud quid vel dicere, vel docere: transgressoribus nimirum hujus nostri divini præcepti, ei pœnæ, quæ continetur lata adversus impiam Nestorii fidem, lege subjiciendis. — § 4. Ut autem omnes re ipsa discant, quantum nostra divinitas avertetur eos, qui impiam Nestorii fidem adfectant: præcipimus, Irenæum dudum ob hanc causam nostræ indignationi suppositum, et postea (nescimus quomodo) post binas nuptias (ut didicimus) præter apostolicos canones, Tyriorum civitatis episcopum factum, ex Tyriorum quidem ecclesia dejecti, in sua autem duntaxat patria degere quiescentem omnimodo, et schemate atque nomine sacerdotis exutum. — § 5. Hæc igitur tua magnificentia, sequens nostræ religionis scopum, observare et effectui dare studebit. — Datum 13 kalend. Mart. 449.

4. Imp. MARCIANUS A. Palladio præfect. præt.

Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis, de fide christiana, publice turbis coadunatis, et audientibus, tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus et perfidiæ occasionem requirens. Nam et injuriam facit iudicio reverendissimæ synodi, si quis semel iudicata ac recte disposita revolvere et publice disputare contenderit: cum ea quæ nunc de christiana fide a sacerdotibus, qui Chalcedone convenerunt, per nostra præcepta statuta sunt, juxta apostolicas expositiones, et instituta sanctorum patrum trecentorum decem et octo [in Nicæna] et centum quinquaginta [in hac regia urbe] definita esse noscantur. Nam in contemptores hujus legis pœna non deerit: quia non solum contra fidem vere expositam veniunt, sed etiam judeis et paganis ex hujusmodi certamine prophaneant veneranda mysteria. Igitur si clericus erit, qui publice tractare de religione ausus fuerit, [a] consortio clericorum removebitur: si vero militia præditus sit, cingulo spoliabitur: cæteri autem hujus criminis rei, si quidem liberi sint, de hac sacratissima urbe expellentur: pro vigore iudicario etiam competentibus suppliciis subjugandi: [si vero servi, severissimis animadversionibus plectentur.] — Dat. 8 id. Feb. Constant. PATRICIO et RICHIMER. COSS. 459.

5. Imp. JUSTINIANUS A.

Cum recta atque irreprehensibilis fides, quam prædicat sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia, nullo modo innovationem recipiat: nos sequentes sanctorum apostolorum, et eorum qui post eos in sanctis Dei ecclesiis conversati sunt, dogmata, justum fore existimavimus, cunctis manifestum facere, qualiter de fide, quæ in nobis est, sentiamus, insistentes et adherentes traditioni et confessioni sanctæ Dei Ecclesiæ catholice. — § 1. Credentes enim in Patrem et Filium, et Sanctum spiritum, unam essentiam in tribus hypostasis, seu subsistentibus personis, adoramus unam deitatem, unam potestatem, trinitatem consubstantialiam. In ultimis autem diebus confitemur unigenitum Dei filium, Deum de Deo, Filium ex Deo, ante sæcula et sine tempore ex Patre natum, coeternum Patri, ex quo omnia, et per quem omnia, descendisse de cælis, incarnatum esse ex Spiritu sancto, et sancta gloriosa, et semper virgine Maria, hominem factum esse, crucem pertulisse, sepultum fuisse, et resurrexisse tertia die, unius et ejusdem miracula et passiones, quas sponte carne sustinuit, agnoscentes. Neque enim alium Deum Verbum novimus, alium Christum: sed unum et eundem consubstantialiam patri secundum divinitatem, et

L. 1. — § 2, supr. h. t. — 10. L. 21, D. de pœnis. — 11. Immo vide L. 6, in fin. infr. de hæret. et manich. — 12. L. 2, in fin. supr. h. t. — 13. L. 6, § 1, infr. eod.

consubstantialem nobis secundum humanitatem. Mansit namque Trinitas etiam post incarnatum unum ex Trinitate Dei Verbum: neque enim quartæ personæ adjectionem recipit sancta Trinitas. — § 2. Hæc igitur cum ita se habeant, anathematizamus omnem hæresin, præsertim vero Nestorium Anthropolatram, dividendam<sup>14</sup> unum dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, et Deum nostrum; nec diserte et secundum veritatem confitentem sanctam gloriosam semper virginem Mariam theotocon esse, hoc est, deiparam: sed alium esse dicentem Deum ex Deo patre, alium, qui ex sancta semper virgine Maria natus est: hunc autem gratia, et proximitate, quam habuit cum Deo verbo, Deum factum esse. Neque vero Nestorium solum, sed et Eutychem<sup>15</sup> mente captum, phantasiam inducentem, negantem autem veram ex sancta semper virgine, et deipara Maria incarnationem, hoc est nostram salutem: neque confitentem per omnia consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem. Simili modo et Apollinarem<sup>16</sup> animicidam, seu psychophthoron, dicentem, dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, et Deum nostrum inanimum esse, et confusionem seu perturbationem superducentem inhumanationi unigeniti filii Dei. Sed et omnes, qui idem cum eis sentiunt. Si enim aliqui post hæc nostram præmonitionem, certo et liquido id cognoscentibus et comperientibus locorum episcopis Deo amatissimis, inventi fuerint posthac in contraria his opinione esse: hi nullius indulgentiæ expectent veniam: jubemus enim tales tanquam confessos hæreticos competenti animadversioni subjugari. — Dat. 538.

6. Idem Imp. Constantinopolitis.

Cum salvatorem, et dominum omnium Jesum Christum verum Deum nostrum colamus per omnia, studemus etiam (quatenus datum est humane menti assequi) imitari ejus condescensionem seu demissionem. Etenim cum quosdam invenerimus, morbo atque insaniam detentos impiorum Nestorii et Eutychetis, Dei et sanctæ catholicæ et apostolicæ ecclesiæ hostium, nempe qui detrectabant sanctam gloriosam semper virginem Mariam theotocon sive deiparam appellare proprie, et secundum veritatem: illos festinavimus, quæ sit recta christianorum fides edocere. Nam hi incurabiles cum sint, celantes errorem suum passim circumveant, (sicut didicimus) et simpliciorum animos exturbant et scandalizant, ea astruentes, quæ sunt sanctæ catholicæ ecclesiæ contraria. Necessarium igitur esse putavimus, tam hæreticorum vaniloquia et mendacia dissipare, quam omnibus insinuare, quomodo aut sentiat sancta Dei et catholica et apostolica Ecclesia, aut prædicent sanctissimi ejus sacerdotes: quos et nos sequuti, manifesta constituimus ea, quæ fidei nostræ sunt: non quidem innovantes fidem (quod absit) sed coarguentes eorum insaniam, qui eadem cum impiis hæreticis sentiunt. Quod quidem et nos in nostri imperii primordiis pridem satagentes cunctis fecimus manifestum. — § 1. Credimus<sup>17</sup> itaque in unum Deum patrem omnipotentem, et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei, et in Spiritum sanctum, unam essentiam in tribus hypostasis sive subsistentibus personis, adorantes unam deitatem, unam potestatem, trinitatem consubstantialem. In ultimis autem diebus confitemur dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Dei filium ex Deo vero Deum verum, ante secula, et sine tempore ex Patre natum: coæternum Patri, ex quo omnia, et per quem omnia, qui descendit de cælis, incarnatus de Spiritu sancto, et sancta gloriosa et semper virgine Maria, et inhumanatus, sive homo factus est, et passus crucem pro nobis sub Pontio Pilato, sepultus est, et resurrexit tertio die. Unius ac ejusdem passionem et miracula, quæ sponte pertulit in carne, agnoscentes. Non enim alium Deum Verbum, et alium Christum novimus, sed unum et eundem, consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem. Ut enim est in divinitate perfectus, ita idem ipse et perfectus est in humanitate. Nam ejus secundum hypostasim seu secundum personam unitatem suscipimus, et confitemur: mansit enim Trinitas, et post incarnatum unum ex Trinitate Dei verbum: neque enim quartæ personæ adjectionem admittit sancta Trinitas.

§ 2. His ita se habentibus, anathematizamus omnem hæresin, præcipue vero Nestorium<sup>18</sup> anthropolatram, et qui eadem cum ipso sentiunt, vel senserunt, qui dividunt unum dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, et Deum nostrum: et qui non confitentur proprie, et secundum veritatem sanctam gloriosam, et semper virginem Mariam theotocon esse deiparam, id est, Dei matrem: sed qui duos filios dicunt, unum ex Deo patrem verbum, alterum ex sancta semper virgine deipara Maria, gratia et habitudine, et propinquitate, quam cum Deo verbo habet, natum esse: et qui negant, nec confitentur dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, et Deum nostrum incarnatum, et hominem factum et crucifixum, unum esse ex sancta, et consubstantiali Trinitate. Ipse enim

14. L. 6, § 2: L. 7, § 1, in fin.; L. 8, § 4, in fin. infr. h. t. — 15. L. 6, § 3, infr. cod. — 16. d. L. 6, § ult. — 17. L. 5, § 2, supr. cod. — 18. d. L. 5, § ult. — 19. d. L. 5, § ult. vers.

solus est coadorandus et conglorificandus Patri et sancto Spiritui. — § 3. Anathematizamus insuper, et Eutychem<sup>19</sup> mente captum, et qui cum eo sentiunt, aut senserunt, qui phantasiam introducunt, negantque veram nativitatem, seu generationem domini, et salvatoris nostri Jesu Christi ex sancta virgine et deipara, hoc est, nostram salutem: et qui non confitentur ipsum consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem. — § 4. Similiter autem anathematizamus, et Apollinarem<sup>20</sup> psychophthoron, sive animicidam, et qui cum eo sentiunt, vel senserunt, qui dicunt inanimum, hoc est animæ humane expertem, esse dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, et Deum nostrum, et qui confusionem, aut conturbationem introducunt, et invehunt in unigeniti Dei filii inhumanationem sive humanitatem: et omnes postremo, qui eadem cum ipso senserunt, aut sentiunt. — Dat. id. Martii, Constantin. D. N. JUSTINIAN. PP. A. III. CONS. 535. — Scriptum est superius edictum eodem exemplo Ephesiis, item Casariensibus, item Cyzicenis, Amidenis, Trapezuntis, Hierosolymitanis, Apameis, Justinianopolitanis, Theopoliitanis, Augustanis, Tarsensibus, Ancyrenis.

7. Idem, Imp. Epiphonio sanctissimo, et beatissimo archiepiscopo regie hujus urbis, et ecumenico patriarchæ.

Cognoscere volentes tuam sanctitatem ea omnia quæ ad ecclesiasticum spectant statum: necessarium duximus, hisce ad eam uti divinis compendiis, ac per ea manifesta eidem facere, quæ jam moveri cepta sunt, quanquam et illa eandem cognoscere sumus persuasi. Cum itaque comperissemus quosdam alienos a sancta catholica et apostolica Ecclesia, impiorum Nestorii et Eutychetis sequutos deceptionem, divinum antehac promulgavimus edictum (quod et tua novit sanctitas) per quod hæreticorum furores reprehendimus, ita ut nullo quovis omnino modo immutaverimus, immutemus, aut prætergressi simus eum, qui nunc usque coadjuvante Deo servatus est, ecclesiasticum statum (quemadmodum et tua novit sanctitas) sed in omnibus servato statu unitatis sanctissimarum ecclesiarum cum ipso SS. Papa veteris Romæ, ad quem similia hisce perscripsimus. Nec enim patimur ut quicquam eorum, quæ ad ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad ejusdem referatur beatitudinem: quum ea sit caput omnium<sup>21</sup> sanctissimorum Dei sacerdotum: vel eo maxime quod, quoties in eis locis hæretici pullularunt, et sententia, et recto judicio illius venerabilis sedis coerciti sunt. Ideoque ex præsentibus divinis nostris breviculis sciet tua sanctitas quæ a nobis proposita sunt quam et quibus studio est, pessime interpretari, quæ a nobis statuta sunt, comprehendetur. — § 1. Pauci quidam infideles et alieni a sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia contradicere judice ausi sunt adversus ea, quæ ab omnibus sacerdotibus recte observantur, probantur et annunciantur: negantes dominum nostrum Jesum Christum unigenitum filium Dei, et Deum nostrum incarnatum ex Spiritu sancto, et sancta gloriosa, semper virgine, et deipara, et hominem factum et crucifixum, unum esse sanctæ, et consubstantialis Trinitatis, et coadorandum et conglorificandum Patri, et sancto Spiritui, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, passibilem carne, eundem impassibilem deitate. Recusantes autem dominum nostrum Jesum Christum unigenitum filium Dei, et Deum nostrum fateri, unum esse sanctæ, et consubstantialis Trinitatis, manifesteprehenduntur impii Nestorii<sup>22</sup> sequi pravam doctrinam, secundum gratiam cum dicentes filium Dei, et alium Deum verbum, et alium Christum dicentes, quos anathemate damnamus, eorum etiam dogmata, eos etiam, qui eadem cum ipsis senserunt, aut sentiunt, ut alienos a sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia. — § 2. Et reverendissimi sacrorum monasteriorum archimandrite<sup>23</sup> sequentes sanctorum patrum traditionem (ea scilicet fide, ut nihil omnino antehac immutaverint aut hodie immutent, ab eo qui nunc usque, sicuti dictum fuit, obtinet ecclesiastico statu) unanimiter fatentur, et cum gloria annunciant dominum nostrum Jesum Christum unigenitum filium esse, et sine tempore ex Patre genitum et in novissimis diebus descendisse ex cælis, et incarnatum ex Spiritu sancto, et sancta gloriosa semper virgine, deipara Maria, et hominem factum, et crucifixum, unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis: consubstantialem enim ipsum scimus Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, passibilem carne, eundem impassibilem deitate. Quemadmodum enim est in deitate perfectus, sic idem in humanitate perfectus. Ideoque eam, quæ est secundum hypostasim, unionem amplectimur, et confitemur: quemadmodum etiam unigenitus filius verbum Dei ante secula et sine tempore ex Patre genitus. Idem quoque in novissimis diebus descendit de cælis, et carnem assumpsit ex Spiritu sancto, et sancta gloriosa et deipara Maria, et homo factus, id est, dominus nostrus Jesus Christus proprie et secundum veritatem Deus est, ita et sanctam, semper virginem Ma-

neque vero. — 20. d. L. 5, § ult. vers. simili modo. — 21. L. 8, in fin. pr. infr. h. t.; N. 13) c. 2 in fin. — 22. L. 5, § 2, supr. h. t. — 23. L. 8, § 2, infr. cod.

riam proprie et secundum veritatem matrem Dei dicimus, non quod Dei verbum principium ex ipsa sumpsit, sed quia in novissimis diebus descendit ex cælis, et ex ipsa incarnatus, et natus, et homo factus est, quem confitemur, quemadmodum dictum est, consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem eundem nobis secundum humanitatem, ejusdem miracula et passiones quas ultro sustinuit carne confitentes. — § 3. Hæc igitur sunt in quibus per divinum nostrum edictum hæreticos coarguimus: qui divino edicto vel omnes reperti hic verissimi episcopi et reverendissimi archimandrite cum tua sanctitate subscriperunt.

§ 4. Sequentes in omnibus sancta quatuor concilia<sup>24</sup>, et quæ ab unoquoque eorum constituta, id est Nicænum 318 patrum, et hujus regie 150, et Ephesinum prius, et Chalcedonense manifeste omnibus (qui una nobiscum sentiunt) fidelibus sanctæ, catholicæ, et apostolicæ Ecclesiæ traditam regulam fidei, hoc est, sanctam formulam, seu symbolum tenemus, et custodimus a 318 sanctis patribus expositam, et illud quod in hac regia urbe 150 sancti patres apertius exposuerunt: non quod defectuosum esset prius, sed quoniam veritatis hostes partim subvertere ceperant sancti Spiritus deitatem, partim ex sancta semper virgine Maria, deipara, veram incarnationem Dei verbi negaverant. Propterea Scripturæ testimoniis idem symbolum supradicti 150 sancti patres apertius exposuerunt, idque et alia omnes sanctæ synodi, id est, Ephesina prior, et Chalcedonensis eandem fidem sequentes susceperunt et custodierunt, sanctam, gloriosam, semper virginem Mariam deiparam publicantur, et non confitentes eam deiparam anathemate percussuerunt: similiter anathematizarunt eos, qui aliud symbolum, aliamve sanctam formulam traderent, præter eam quæ a 318 sanctis patribus exposita esset et explicata, et corroborata a 150 sanctis patribus in hac regia urbe congregatis. Et quidem Ephesinum prius impium Nestorium, et ejus dogma sustulit, et anathematizavit. Ad hæc eos qui cum eo senserunt et sentiunt, et qui consenserunt, et consentiunt. Chalcedonense vero sanctum concilium damnavit et ejecit de sanctis Dei ecclesiis, et anathematizavit impium Eutychem ejusque dogmata, et qui eadem cum illo senserunt et sentiunt, et qui consenserunt eidem, et consentiunt, et omnes hæreticos eorumque dogmata, et qui cum illis senserunt, et sentiunt anathematizavit: pariter anathematizavit Nestorium, scilicet ejusque dogmata: et eos qui cum eo senserunt et sentiunt, eosque qui cum eo consenserunt, et consentiunt. Chalcedonense vero sanctum concilium damnavit et ejecit de sanctis Dei ecclesiis, et anathematizavit impium Nestorium, et ejusque dogmata, et eos qui cum eo senserunt et sentiunt, et qui consenserunt eidem, et consentiunt. Chalcedonense vero sanctum concilium, Magni Procli ad Armenios conscriptam epistolam, (quod oporteat dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, et Deum nostrum unum sanctum Trinitatis per propriam relationem,) suscepit et confirmavit. Quæ supradicta quatuor sancta concilia, si negligimus, aut ea, quæ his constituta, damus licentiam damnatis ab iis hæreticis eorumque dogmatibus suam pestem rursus in sanctis Dei ecclesiis ostendere. Optandum itaque ut quod nondum contigit fieri, hoc aliquando contingat. Idque eo magis quod supra dicta quatuor sancta concilia speciali confessione hæreticos: eorumque dogmata damnarunt. Ideoque si quis ab uno supradictorum sanctorum conciliorum dissentiat, palam est, eum amplecti dogmata a sanctis illis patribus damnata, et anathematizata. — § 5. Nullus itaque frustra nos turbet spe vana innixus, quasi nos contrarium a supradictis quatuor conciliis fecerimus, aut faciamus, aut fieri a quibusdam permittamus, aut aboleri eorumdem sanctorum quatuor conciliorum piam memoriam ex dictis Ecclesiæ diptychis sustineamus. Omnes enim, qui ab iis damnati et anathematizati sunt, et damnatorum dogmata, eosque, qui eadem ac ipsi senserunt aut sentiunt, anathematizamus. — § 6. Itaque bene precetur nobis, et nostro imperio beatitas tua, omnes de nostra intentione, et nostro erga irreprehensibilem fidem studio, docens et certiores faciens. — Dat. 7 kal. apr. CP. DN. JUSTINIAN. P. P. A. 3 CONS. 535.

8. Gloriosissimo et clementissimo filio Justiniano Augusto JOANNES episcopus urbis Romæ.

Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, christianissime principum, puriore luce tanquam aliquid sydus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio edocti ecclesiasticis disciplinis, romanæ sedis reverentiam conservatis, et ei cuncta subjecitis, et ad ejus deducitis unitatem, ad cujus auctorem, hoc est, apostolorum primum, domino loquente præceptum est, *Pasce oves meas*: quam esse omnium vere ecclesiarum caput, et patrum regulam et principum statuta declarant, et pietatis vestræ reverendissimi testantur alfatus. Patet igitur, in vobis impletum fore, quod Scripturæ loquuntur: *Per me reges regnant, et potentes scribunt justitiam*: nihil est [enim] quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe: nihil est, quod ita nequeat occasui subjacere, quam vera religio: nam cum auctorem vite, vel luminis utraque respiciant, recte et tenebras respiciunt, et nesciunt subjacere defectui. Quam ob rem, glo-

24. L. 8, § 3, infr. cod.; N. 115, c. 5, § 14, pr. — 25. Obs. L. 24, in pr. infr. de SS. eccles.

riossime principum, votis omnibus exorabitur divina potentia, ut pietatem vestram in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integræ religionis studio, sine defectu sui in longiora tempora conservet: hoc enim et sanctis credimus ecclesiis expedire. Scriptum est enim, *Labiis regis rex*: et iterum, *Cor regis in manu Dei est, et ubi voluerit, inclinabit illud*. Hoc est enim, quod vestrum firmat imperium: hoc quod vestra regna conservat. Nam pax Ecclesiæ, religionis unitas, auctorem facti in sublime provecum grata sibi tranquillitate custodit. Neque enim parva ei vicissitudo a potentia divina tribuitur, per quem nullis rugis Ecclesia divisa secernitur, nullis insertis maculis variatur. Scriptum est enim: *Quia cum rex justus sederit supra sedem, non adversabitur ei quicquam malignum*. Proinde serenitatis vestræ apices, per Hyapatium atque Demetrium sanctissimos viros, fratres et coepiscopos meos, reverentia consuetæ suscepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuistis edictum amore fidei pro submovenda hæreticorum intentione, secundum apostolicam doctrinam, fratrum et coepiscoporum nostrorum interveniente consensu. Quod, quia apostolicæ doctrinæ convenit, nostra auctoritate confirmamus.

Textus autem epistolæ Imperatoris talis est.

Victor JUSTINIANUS, pius, felix, inclytus, triumphator, semper Augustus, Joanni sanctissimo archiepiscopo almæ urbis Romæ, et patriarchæ.

Reddentes honorem apostolicæ sedi, et vestræ sanctitati (quod semper nobis in voto et fuit, et est) et ut decet patrem, honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium unitatem vestræ apostolicæ sedis, et statum sanctarum Dei ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, et incommote permanet nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes universi orientalis tractus, et subjicere, et unire sedi vestræ sanctitatis properavimus. In præsentem ergo, quæ commota sunt (quamvis manifesta et indubitata sint, et secundum apostolicæ vestræ sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firme custodita et predicata) necessarium duximus, ut ad notitiam vestræ sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput<sup>25</sup> est omnium sanctarum ecclesiarum. Per omnia enim (ut dictum est) properamus honorem, et auctoritatem crescere vestræ sedis. — § 1. Manifestum igitur facimus vestræ sanctitati, quod pauci quidam infideles, et alieni sanctæ Dei catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ, contradicere judice atque apostatice ausi sunt adversus ea, quæ ab omnibus sacerdotibus secundum vestram doctrinam recte tenentur, et glorificantur, atque prædicantur, denegantes dominum nostrum Jesum Christum unigenitum filium Dei, Deum et dominum nostrum incarnatum de sancto Spiritu, et ex sancta atque gloriosissima semper virgine Dei genitrice Maria hominem factum, atque crucifixum, unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis, et coadorandum, et conglorificandum Patri et Spiritui sancto, consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundem impassibilem deitate. Recusantes enim dominum nostrum Jesum Christum unigenitum filium Dei, et dominum nostrum fateri unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis: videntur Nestorii<sup>26</sup> malam sequi doctrinam, secundum gratiam dicentis unum filium Dei, et alium dicentis Dei verbum, et alium Christum. — § 2. Omnes vero sacerdotes sanctæ catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ, et reverendissimi archimandrite<sup>27</sup> sanctorum monasteriorum, sequentes sanctitatem vestram, et custodientes statum, et unitatem sanctarum Dei ecclesiarum, quam habent ab apostolica vestræ sanctitatis sede, nihil penitus immutantes de ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit atque obtinet, uno consensu confitentur et glorificant, prædicantes dominum nostrum Jesum Christum unigenitum filium, et Verbum Dei, et dominum nostrum ante secula, et sine tempore de Patre natum, in ultimis diebus descendisse de cælis, et incarnatum de Spiritu sancto, et [ex] sancta atque gloriosa virgine, et Dei genitrice Maria natum, et hominem factum, et crucifixum, unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis, et coadorandum, et conglorificandum Patri et sancto Spiritui: nec enim alium Deum verbum, et alium Christum cognoscimus, sed unum atque eundem ipsum consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundem impassibilem deitate. Ut enim est in divinitate perfectus, ita idem ipse, et in humanitate perfectus est: in una enim substantia deitatem suscipimus, et confitemur: quod dicunt Græci, *την καὶ ὑπόστασιν ἑωσαν ὑπολογίζομεν*. Id est, *eam, quæ secundum personam est, unitatem confitemur*. Et

— 26. L. 5, § 2, supr. h. t. — 27. L. 7, § 2, supr. cod.

